Poëtae Latini recentiores.

1095.

Nowo-Łacin. Liter.

Majoris Eliae: Epigrammata sacra.

Ma

M. ELIÆ MAJORIS EPIGRAMMATA ROSEA.

VIRO
MAGNIFICO, STRENUO,
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO,
DN.
REINHARTO ROSÆ in Rosenigk, U. J. D.
Comiti Palatino Cæsareo,

S. Imperatoriæ Majestati, ut & Illustriss. Lignicensi Duci â Consiliis;

Reipub. VRATISLAVIENSIS Syndico, & Ducatus Pro-Cancellario;

Dn. Compatri atq; Fautori meo magnopere amando atq; observando,

SALUTEM, CULTUM, OFFICIA.

CAlendas Novembres, Omnium Sanctorum nomine in pervulgatis fastis insignitas, annis aliquot proximis, solutis pariter atq; fusis pro Salute Tuâ votis, ita celebravi, uti dies illi celebrari solent, qui eorum, quos amamus, colimus, observamus, nomen, & cum nomine, anniversariam referunt memoriam. Eæ quia hoc etiam anno, Te, Vir Magnifice atq; Amplissime, vivo & bene valente, nobis illuxerunt; primùm, ut fas est, Immortali Benignissimoq; Numini, pro hoc ipso, quod inter optima maxima, ego non-postremum numerare soleo, beneficio, singulares ago gratias. Deinde, quemadmodum non minùs Magnificæ Amplitudini Tuæ, hanc felicitatem gratulor, quàm mihi gaudeo; ita ex animi sententiâ, Eundem omnis boni fontem unicum veneror ac precor, ut hanc cæterasq; plurimas beatitudines, proprias Tibi esse jubeat. Et quia votis tempore istiusmodi fusis, donaria quandoq; adjungi solent; ego quoq; in præsens id moris observandum mihi duxi. Idq; pro sortis & fastigii mei ratione. Qui enim gemmea, aurea, argentea, nequeo offerre munera, ROSEA hæc, quæ vides, offero Epigrammata. ROSEA, inquam: non quod ita pulcra & nitida, uti illæ res sunt, quibus poëtæ inprimis, hoc annectere solent Epitheton; qualis est roseus ille Sol aut Lucifer, rosea ipsa lux aut Venus: sed quod vel de TE ROSA, vel certè ad TE ROSAM, diversis temporibus mihi scripta omnia, unico postremo excepto, quod nunc primùm mitto. Ea, cuicuimodi sunt, boni te, Magnifice Dn. Comes, Summe Fautorum, consulere; meum inde adversus Te amorem atq; cultum cognoscere atq; amare; meæq; parvitati in posterum quoq; favere, ita cupio, ut nihil vehementiùs; nisi illud, ut has ipsas Calendas Novembres, plurimis adhuc annis, salvâ, & multò quam nunc est, tranquilliore Ecclesia atq; Repub., redire, omnimodè felix atq; florens videas. VRATISLAVIÆ, Calendis, quas dixi, Novembribus, Anni Christiani CIↃ IↃC XXXI.

Magnificam Tuam Amplit.
meritò colens & observans

M. Elias Major, Poëta Laur-Cæsar.
Gymnasij Vratislaviensis Rector & Professor, cæterarumq; ibidem Scholarum Inspector.

I.

EPIGRAMMA.

Ad Nobiliss. Amplissimumq́ Virum

Dn. Reinhartum Rosam in Rosenigk &c.

V*Ere* Rosæ *florent aliæ: sed tempore brumæ*
Ignavo, fructus hæc rosa *fert nitidos.*
Si stirps è fructu rectè cognoscitur: *omnes*
Dicere oportebit: Hæc Rosa planta bona est.

Scriptum
Prid. Id. Decembres
Anni Christiani CIϽ IϽC XXIII.

Quo die

D*Onabas miseris ludi* - frumenta - *magistris*
Indignam miserans, Syndice Magne, *vicem.*

II.

Ad eundem Viennam in negocio publico abeuntem.

16. Febr. 1625.

L*Ætus abi (quanquam te optem, REINHARTE, manere;*
Sed quia Res *poscit* publica) *lætus abi.*
Lætus ini, celebrem domibusq́ virisq́ Viennam,
Magna ubi Magnanimi Cæsaris aula nitet.
Atq́ ibi causam urbis nostræ, causamq́ Senatus
Ferdnando *coram* Cæsare *lætus age.*
Et tandem rebus perquàm feliciter actis,
Nota redux Breslæ *mœnia lætus adi.*
Idq́ brevi fiat. Nam longo tempore, Breslæ
Hortum, *fas minimè est*, hacce *carere ROSA.*

III.

Votum.

VOTUM.

REIN-	Breslâ	*properantis ad*		*urbem,*
HARTI	clarâ	*versantis in*	Austridos	*urbe,*
	Breslam	*properantis ab*		*urbe.*

Commendata Salus sit tibi, Summe DEUS:
Reinharti, & Comitum: *cuncta his defende pericla,*
Ut salvi redeant incolumesq; domum.

IV.

In Reditum Legatorum Vratisl. Dnnn. Barthol. Dobschütz, Stanisl. Aichheuser, & Reinharti Rosæ.

OCtava *ut* supra decimam lux *splendet* Aprilis,
Legatos *recipit splendida* Bresla *suos.*
Omen habeto dies! Redierunt luce ValerI:
Conservet validum *splendida* Bresla *decus.*

V.

In Quartanæ nomen.

QVi, quartana febris, *te hac dixit voce, videtur* 18 Octob.
Rem spectasse magis, quàm numerasse dies. 1625.
Cum tres *sint* Furiæ, furiarum es quarta catervæ:
Quarta *quidem, ast illis sævior* una tribus.

VI.

Votum pro Dn. Reinharto Rosâ febriente.

M*Ultarum vocum, verbi votum unius, instar*
Esto: Febri *eripias, chare* Jehova, *ROSAM.*

VII.

Aliud.

V*Itam ejus tibi me fas commendare, dedisti*
Quem mihi patronum, summe Patrone *DEUS.*
Cùm tibi votorum sit cura fidelis JOVA,
Curæ etiam fuerit Vita Salusq; ROSÆ.

VIII.

Ad Febrem ipsam.

Q*Vid tibi*, nigra, *rei est* Roseo *cum* pectore, Diva?
Sic volo, sic jubeo, querquera Febris abi.
Fortè meum imperium rides; tamen improba abibis:
Sic fieri ipse velit, *sic* jubeatq; *DEUS.*

IX.

28. Decem. 1625.

De tribus Christi nascentis ministris.

TRes Christo nato famuli, *matriq; fuere*
(*Historiæ veteri si est adhibenda fides.*)
Primum *homines, avidiq; canes edère* Secundum;
Tertium *at excepit janua celsa poli.*
Miraris famulos? Bos *primus, at alter* asellus:
Curator Joseph, *tertius ipse fuit.*

X.

Calendis Novembribus An. 1626.

S*I fastis adhibenda fides vulgaribus ulla:*
Omnibus *est* Sanctis *sacra hodierna dies.*
Si quoq; REINHARTUS numero est memorandus in isto;
Est Reinharto *etiam Sacra* hodierna dies.
Hoc quoq; si constat, Juris *ROSA*, floride Princeps,
Nomini erit quoq; lux ista dicata tuo.
Omnia sed si ita sunt, REINHARTE, licebit amicis;
Ceu tibi sacratum hunc concelebrare diem.
Sed celebrent misso, quibus hæc opulentia, dono,
Quale tenent clausum, cistula, cella, penus.
Præter vota, nihil mihi sors infesta reliquit.
Votis lux ansam præbeat ipsa meis.
QVOT SANCTI, in mundo vixere ab origine rerum,
QVOT vivunt nostro tempore, post QVOT erunt:
[*Est autem numerosa cohors, sic prorsus, ut omnes*
Qui numerare velit, non numerare queat]

TOT

TOT BONA luce tibi hac tribuat favor almus JOVÆ,
Porrò idem servet TOT BONA Jova tibi.

XI.

Votum pro Dn. Rosâ Viennam profecto. 17 Januar. 1627.

J*Ova tibi commendo ROSAM, quem Slesia rursus*
FERDNANDI ad vultus Cæsaris, *ire jubet.*
Ad celebrem seu carpit adhuc iter Austridos urbem,
Patronum alme meum *JOVA* tuere *ROSAM.*
Seu portis hominem jam clara Vienna *recepit;*
Patronum alme meum *JOVA* tuere *ROSAM.*
Seu patrias *cursu repetit feliciter* oras,
Patronum alme meum *JOVA* tuere *ROSAM.*

XII.

ROSA VRATISLAVIENSIS.

SLesidos in campis *floret* pulcherrimus hortus,
Præclaroq; potens nomine BRESLA nitet.
Multi *ornant* hortum flores, *quorum inclytus oras*
Et patrias, odor, & dissita regna replet.
Pulchri *ut sint* flores: *tamen omnis turba fatetur*
Florum, *nil quicquam pulchrius esse* Rosâ.
Cuncta horto *quisquis contingere læta precatur*
Quomodo tam suavem *non amet ille* Rosam?

XIII.

In me^u_a m Rosam. 22. Nov. 1627.

M*E* Rosa *lætificat* noster, rosa nostra *molestat:*
Hanc odisse, illum ast unicè amare juvat.
Floreto noster Rosa: *Sed* Rosa nostra *perito:*
A nostro, *differt quàm* Rosa nostra, Rosa!

XIV.

Ad Dn. D. Reinhartum Rosam. 4. Novem. 1628.

Excellens

EXcellens Reinharte, pedem qui calceus iſtu
Vrgeat, *obſcurum non tibi id eſſe puto.*
Si cum SEILERO *(quod ſpero, atq; expeto ſupplex)*
Attuleris, miſerum me miſeratus, opem:
Verè illum dixiſſe, ævum teſtabor in omne,
Qui dixit, HOMINI *ſæpè* HOMINEM ESSE DEUM.

XV.

Votum initio anni. 1630.

DA DEUS *iſte tuis ſit* felix annus amicis:
Idemq; infelix hoſtibus *eſto tuis.*

XVI.

In Timonem.

QVid *mirum, vivit ſi tecum nemo* moroſè,
Cùm niſi moroſè *vivere nullus ames?*

XVII.

Sententia Gregorij in Ezechielem.

Citat Mantuanus l. 2. de Patient. cap. 13.

QVod fornax auro, *quod* ferro lima, flagellum
Quod grano, *facit hoc* crux homini *ipſa pio.*

XVIII.

Votum Chriſtianum.

UT vitâ *fruar, ut fugiam poſt ſæcula* mortem,
Chriſte, piè hic vivam, *da,* moriarq; *piè.*

XIX.

Ex Chryſoſtomi lib. 2. de Orando DEUM.

UNda *quod eſt* piſci, *hoc eſt ſancta* precatio menti:
Piſcis at extractus, non benè degit, aquis.

XX.

Ratio captivanda.

S*Int abſurda licet rationi, oracula ſacra:*
Mens pia crede *tamen, mens pia* cede DEO.

XXI.

Anagramma

Anagramma geminum.

EVA VAE. ADAM DAMA.

V*Ix interdicta decerpserat arbore pomum*
Primorum Patris & Matris *iniqua gula*:
Numine ad aequum ambos subito arcessente tribunal,
VAE clamavit EVA: ut DAMA, timebat ADAM.

XXII.

In Nominalia Dn. D. Reinhart Rosae, &c.

ET nunc & semper *nobis salvete* Calendae, 1. Novem. 1630.
Queis autumnali luce November *init*.
Hunc iterum illuxisse, Rosâ *vivente* Patrono
Et salvo, vivus cerno valensq́ diem.
Qui nosti penitus (nam corda introspicis ipsa)
Hanc mihi rem summi muneris esse loco:
Si me, siq́ meos adamas, ceu diligis, isto
Munere, JOVA, diu me patiare frui.
Facq́ bonus, multis etiam post floreat annis,
Vita, Valetudo, Gloria, Opesq́; Rosae.
Pro dono hoc, & pro reliquis, DEUS optime nomen
Et nunc & semper, *concelebrabo tuum*.

XXIII. *Anagr.*

VITRUM. UTIMUR.

E*Briolos propter VITRI culpamus ABVSUM.*
Si VITRUM UTIMUR, ut vox notat ipsa; bene est.

NB. Verbum UTOR etiam cum Accusativo constructum reperitur. Vide Plaut. Asin. A. 1. S. 3. vers. 47. & Rudent. A. 4. S. 7. vers. 15.

XXIV.

AETERNUM. anagr, VER MANET.

V*Er viget,* & Maij *species formosa sereni,* 5. Maij. 1631.
Hortos, atq́ omnem floribus ornat humum.

O, qui,

O, qui, dum natura sinit, dum tempora suadent,
Vernis *exhilaras sensum animumq́ bonis;*
Hoc scito; Ista brevi mundi spectacla peribunt:
Pauci obeant Soles, veris obibit *honor.*
Quod Paradisiacis olim degemus in hortis,
Metai, ÆTERNUM VER MANET, absq́ metu.

XXV.

In Comitivam Dn: Rosæ.

A*Mbulet apricâ si moles corporis æthra,*
In se suscipiens Solis ab axe jubar;
Nemo licet jubeat, nemo licet ore precetur,
Sponte amat umbra tamen corpori adesse comes.
Sic dum Romani Imperij Sol Cæsar, *in actis*
Cunctis te lucem *cernit amare, ROSA;*
Illius auspiciis, *quantumvis nemo rogaret,*
Sponte tamen Comitis te comitatur honos.

XXVI.

Ad tres Fratres.
Reinhartum, Christianum, & Fridericum, Reinharti F. F. F. Rosas.

S*I, velut in terra-nascentibus, herba virescens,*
Sperandum quid de fructibus, ipsa monet;
Sic, quid de fructu studiorum artisq́, futuris
Sit sperandum annis, prima juventa monet:
De vestris Studiis spes me optima maxima mulcet,
O Fratres, Musis corcula chara, ROSÆ,

Lilia

Lilia pulcrê in agris florent, violæq; rosæq;:
Flos studij vestri pulcrior esse potest.
JOVA, Rosis tempestates florentibus arce,
Grandire & plantas basce subinde, sinas:
Multiplicem ut Sobolis fructu ê multiplice, fructum
Atq; olim, atq; diu, carpat uterq; parens.